



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118529

§.13. Inaugurationis diploma in Saxoniae Electoratum Mauritio a Cæsare datum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)

successus promitterent, dummodo prom-
 ptis pecuniarum subsidiis adjuvarentur,
 quibus ad alendos suos milites, atque
 ad occasionem sponte oblatam feliciter
 captandam summopere indigerent.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1546.

§. XIII.

*Inaugurationis diploma in Saxonie
 Electoratum Mauritio a Cæsa-
 re datum.*

Interea Carolus Imperator, proscriptis
 Saxonie Electore ac Hassiæ Landgra-
 vio, Mauritio Joannis Friderici Patrue-
 li, quamvis & ipse Lutheri secta inte-
 ctus esset, inaugurationis diploma in
 Saxonie Electoratum concedere consti-
 tuit, arreptoque hoc consilio die prima
 Augusti Henricum de Rosa, qui Cæsa-
 ri ab epistolis erat, ad Mauritium ab-
 legavit, eidemque deferendam tradi-
 dit quamdam declarationem Cæsaris
 chirographo munitam, quæ rationes
 complectebatur, quibus Imperator com-
 pulsus Joannem Fridericum ejus avun-
 culum Imperio proscriberet, Mauritium
 autem in Saxonie Electorem inaugura-
 ret: huic vero in mandatis dedit, ut
 conductis, quas posset, copiis, concessi
 Imperii possessionem acciperet: Porro ut
 Imperator eo efficacius cunctis obviaret
 obstaculis, Romanorum Regem eo in-
 duxit,

Sæc. XVI.
A.C. 1546.

duxit, ut in hac expeditione Mauritio suppetias ferret: quinimo Augustum quoque Saxonix Ducem Mauriti frater sollicitabat, eumque ad sua studia pertrahere nitebatur, spe facta, illum in Electoratu successurum, si Mauritius ejus frater sine prole mascula decederet. Imperator cum Mauritium suæ voluntati plene cessurum, haud temere suspicaretur, eidem denuntiari jussit, quod eo renuente is, qui omnium primus Electoratum occuparet, eundem retinere permetteretur, illiusque possessor permaneret, ipse vero, si obtemperare recu- sasset, pœnis in declaratione adversus ceteros rebelles latis obnoxius foret.

§. XIV.

Literæ ad Landgravium habito Ordinum conventu a Mauritio datæ, istiusque responsum.

Thua l. 2.
Steid. l. 18.
p. 635. edit.
I 556.

Mauritius itaque a Cæsare stimulus primo Chemnitii, ac postea die nona Octobris Fridbergæ ditionum suarum Ordines convocavit, cum illis hac super re deliberaturus: Toto igitur negotio mature discusso decretum est, quod datis ad Saxonix Electorem literis eundem de Cæsaris voluntate certio- rem redderet, simulque significaret, quid-
nam